1762 Maj Tuzer W.

DIVINISSIMO
LIBERTATIS
GENERIS HUMANI
ASSERTORI
COPIOSISSIMO GRATIARUM
THESAURO
JNEXHAUSTO BENEFICIORUM
FONTI

JESU
NAZARENO

PALATINATUS VITEBSCENSIS
MAXIMO DELICIO
SUA IN ICONE

à Clemente XIII. Pontifice Maximo Abusq; urbe Missa,
ac publicæ Venerationi
EXPOSITA

Apud PP. Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ TRINITATIS
De Redemptione Captivorum.

CONVENTUS VITEBSCENSIS

Se
SUAMQUE TRIENNIO Navatam Philoſophico ſtudio
operam

COLLEGIUM ANTECOLLENSE
V I L N E N S E
E J U S D E M O R D I N I S

Jn perenne Obſequij MONUMENTUM

D. D. D.

V I L N Æ
Typis S. R. M. PP. Baſilianorum A. 1762

Ex LOGICA

I.

EXtare varias ſcientias ſeu cognitiones certas ac evidentes rerum, quemadmodum contra Scepticos qui nihil certo ſciri poſſe Somniabant, defendunt omnes, ſic eas de novo acquiri indubium eſt. Quam ob rem Jdeæ innatæ Platonicæ tanquam mera figmenta exploduntur.

II. Certæ cognitionis principium non eſt illud Cartheſii: *ego cogito, ergo ſum*, ſed id *quidquid euidenter concipitur, certiſſimum eſſe oportet.*

III. Ad ſcientiam in rigore Philoſophico fundandam ſuffice-

re moralem certitudinem, neque omnino requiri Metaphysicam, aut Physicam verior habet sententia.

IV. Scientia non ita pugnat cum opinione & fide, ut actus earum in eodem intellectu circa idem objectum nullo modo subsistere queant.

V. Inter scientias logica primum locum sibi vendicat, hæc quippe ad eas perdiscendas viam aperit, unde ut scientiæ aliæ rite comparentur, est pernecessaria quidem, sed necessitate morali duntaxat.

VI. Cum logica sit scientia, quâ tres mentis cogitationes ad verum rectè cognoscendum diriguntur, hinc meritò infertur, neq; mentem ipsam, neq; res considerationi subiectas, neq; externas voces, sed solas huiusmodi cogitationes, & quidem sub rectitudinis ratione, objecti nomine donari debere.

VII Distinctionem rerum Ipsis inesse rebus dicimus. Porro quod attinet distinctionem formalem ex natura rei, nec non distinctionem virtualem intrinsecam, hæ præcisioni, cujus solius munus est unum gradum Metaphysicum ab alio separare, posthabendæ sunt.

VIII. Universale nullatenus extra intellectum existit. Quare universale Platonicum cui in mundo sublunari sedem Plato assignat, inter fabulas recenseri meretur.

IX Judicium est actus intellectûs non voluntatis ut Carthesius contendit, idque simplex & indivisibilis. Item verum aut falsum judicium omnino citra ullum inter hæc duo medium esse oportet, etiam illud quod fit de futuro eventu libero.

X. Si præmissis quispiam assentiatur, conclusionem quoq; necesse est, ut affirmet.

E X

E X
METAPHYSICA seu Ex ONTOLOGIA & PNEUMATOLOGIA.

XI. Possibile Metaphysicè omne illud est, quod reapse non existit quidem, neq; erit, quo minus tamen existat, repugnat nihil.

XII. Essentia & existentia sibi proportionatæ in rebus creatis sola cogitatione distingvi vero similius videtur.

XIII. Causa entis est principium dans esse alteri per influxum ex se defectibilem. Causa effectrix Physica distribuitur in primam & secundam. Jlla licet ad omnes effectus Creaturarum immediatè concurrat, neq; tamen propterea est causa peccati, nec præmovet Physicè ad agendum. Hæc verè habet vim rerum effectricem, atq; adeò debet esse præsens, ut nec tempore, nec loco, quàm quo manet, producere quidquàm possit.

XIV. Omnis causa tam creata quàm increata dicit connexionem essentialem cum effectu possibili & vicissim.

XV. Nihil vetat asserere, ut res tam à se quo ad secundum esse, quàm à pluribus simul causis adæquatis producatur supernaturaliter.

XVI. Deus est ens à se, cujus existentia argumentis evidentibus demonstratur.

XVII. Esse summè perfectum, infinitum, æternum, ita soli Deo proprium est, ut ulla res creata, neq; perfectissima, neq; infinita (ut aiunt) cathegorematicè neque ab æterno dari potuerit.

EX PHYSICA GENERALI

XVIII. Essentiam corporis non rectè Carthesius in extensione actuali, seu trina dimensione collocat, cum sine hac cor-

pus non desinit esse verum corpus. Nos proinde eam in impenetrabilitate naturali sitam esse dicimus.

XIX. Systema de principijs corporum illud tanquam cæteris vero similius præferendum est, quod dari materiam & formam nullumq; corpus sine his cogitari posse, adstruit.

XX. Quatuor vulgata nec non chymica Elementa inter principia secundaria sensibilia corporum naturalium annumerari possunt, quamvis minus proprie hæc, quàm illa.

XXI. Quantitas inter proprietates corporum principem fere locum obtinet, quam á substantia corporum realiter distinctam esse, vel ex Altaris Sacramento edocemur, quod & Sacrorum Conciliorum & Sanctorum Patrum auctoritas confirmat.

XXII. Causa motûs generalis effectrix, neq; est solus Deus, neq; medium per quod corpora moventur, neq; quid simile, sed impetus mobili impressus, ut etiam quidam ex Neotericis volunt.

XXIII. Asserere gravitatem corporum esse intrinsecam ipsis corporibus, à vero non abhorret. Porro gravium decidentium motus si nulla hubeatur ratio medii, fit secundum proportionem arithmeticam numerorum imparium.

XXIV. Causa motûs refracti novæq; directionis, est tum impetus primò productus, tum medium ab illo per quod corpus transit diversum, quod tamen à mobili pertransiri potest. At verò causa motus reflexi est solum elaterium corporis aut reflexi. aut reflectentis, aut utriusq; simul.

XXV. Omne corpus esse porosum, perspirabile, opacum, aut Diaphnum oportet. Diaphneitas porro ex recti linea pororum communicantium dispositione omnino repeti debet.

XXVI. Raritas corporum in meatuum extensione, densitas vero in contractione eorundem optime reponitur.

XXVII. Particulæ fluidi corporis non sunt ex sua essentia in continuo motu & agitatione, sed fluiditas corporum habetur à molecularum figura & minima earum cohæsione.

XXVIII. Calorem ex parte obiecti calidi consistere in motu celeri & perturbato & expansivo molecularum insensilium non improbabile censemus.

XXIX. Colores ex parte objecti in varia partium textura & situ, ex parte verò medij, in lumine certa ratione modificato statuimus.

XXX. Cum nullus sonus sine tremulo aëris motu concipi queat, proinde ineo sonus collocandus est.

Ex PHYSICA PARTICULARI.

XXXI. Terra si non Mathematicè, Physicè saltim est rotunda.

XXXII. Terræ motus potissimùm efficiuntur ab exhalationibus nitrosis, sulphureis, ac bituminosis, in terræ sinu accensis.

XXXIII. Salsedo maris provenit à salinis particulis aquæ marinæ immixtis, sive illæ sint mari coævæ, sive ex visceribus terræ in mare delabantur.

XXXIV. Fontes potissimùm unicè ex pluviis et solutis nivibus immediatè oriri arbitramur, adeòq; eorum origo non est aliunde repetenda.

XXXV. Omnia Elementa in locis propriis gravitare svadetur ratione intrinseca & experimentis, proinde phænomena quæ in Tubis Toricellanis aliisq;Machinis conspiciuntur, non horrori vacui, sed gravitati aeris tribuenda sunt.

XX-

XXXVI. Auctoritas Sacræ Scripturæ eſt, ob quam ſyſtema Tychonicum Copernicano quò ad ſubſtantiam prœferri debet, quod proinde tanquam theſis defendi nequit.

XXXVII. Cælos eſſe fluidos varii Cometarum & Planetarum motus aliaq; arguunt.

XXXVIII. Cometæ non ſunt exhalationes in ſuperiore àëris regione accenſæ, neq; ſunt ſtellarum congeries, ſed ſunt ſydera mundo coæva, quæ certa et conſtanti lege, peculiares orbitas percurrunt.

XXXIX. Plantas omnes naſci ex ſemine certum & indubitatum videtur.

XL. Anima humana eſt ſubſtantia ſimplex, adeoq; Spiritualis, & quod inde ſequitur natura ſua immortalis, eaq; libera non tantùm à coactione ſed etiam à neceſſitate, ut ajunt, tam contrarietatis, quàm contradictionis.

XLI. Commercium animæ cum corpore non rectè explicatur per ſyſtema cauſarum occaſionalium, aut harmoniæ præſtabilitæ, ſed per Syſtema influxus Phyſici.

Propugnabantur publicè in Collegio Antecollenſi Vilnenſi Ordinis *Diſcalceatorum SSmæ* TRINITATIS *de Redemptione Captivorum. A Religioſis Ejuſdem Ordinis*
Anno Dni: M. D. C. C. L. X. I. I. Menſe Majo.